

- Per mare, per terras quasi pauper inutilis erras
Non metuens guerras, cum sepe palacia verras.
- Spernens antiquas mulieres queris iniquas;
Curvus mendicas, solitus consumere micas.
- 2105 Gaudes in Bacho; vis vinci; cerne, quis a quo
Vinceris; in stomacho sonitu vexaris opaco.
- Arboris aut turris umbram petis, ad mala curris;
Ludens cum scurris passim sine lege ligurris.
- Corpus in obscuris miser igne libidinis uris;
2110 Contemptor iuris absque rubore¹ furis.
- Vix² es ieiunus; das damnum pluribus unus³;
Stas importunus, dum speras sumere munus.
- Si tua damna notes, anime vis perdere dotes;
Pronus es, ut potes quidquid habere potes.
- 2115 Fetes seu⁴ edus, nec es istrio nec citharedus;
Perfidus et fedus non horres frangere fedus.
- Plebi carnali presumis obesse; sodali
Dans exempla mali vis quasi porcus ali.
- Spargitur ad multa sine preside mens tua stulta,
2120 Cogitat inculta, quod obest ratione sepulta.
- Optima⁵ docmata spernis, apostata, dicta priorum;
Dante deo, data perdis aromata, munera morum⁶.
- Potibus ac escis nimis insistendo senescis;
Plenus torpescis et facta decentia⁸ nescis.
- 2125 Multos pervertis foribus festinus apertis;
Sopitus stertis: dolor est tua vita disertis.
- Laudas indignos doctus palpare malignos,
Irridens dignos, ausus reprobare⁹ benignos.
- Factus es enormis, satur inter dolia dormis;
2130 Est caro deformis tua, vestis curta, biformis.
- Qui bene, qui caute, poteris qui vivere laute,
Defluis incaute: ratis es sine remige¹⁰ naute.

1) 'dolore' durch Punkte getilgt, darüber 'rubore'. 2) 'Vis' Hs.
3) 'unum' durch Rasur zu 'unus' verändert. 4) 'seu' auf Rasur von
anderer Hand, + am Rand von erster Hand. 5) 'Optima', a auf
Rasur. 6) 'Munera dante deo data, perdis aromata morum'. 7) Aus
'escas' korr. 8) 'decentia', a auf Rasur. 9) 'ausus reprobare' auf
Rasur. 10) 'ratis es sine remi-' auf Rasur.